

imponatur; quia tunc interest vera commutatio rei temporalis pro spirituali; potest tamen dari eleemosyna, vel munus aliquod pretio æstimabile ad alliciendum aliquem, ut præstet rem spiritualem, modo nullum pactum onerosum intercedat. S. Thomas loco cit. Suarez, alii.

CAPUT V.

De Simonia in materia Beneficiaria.

37. *Quest. 1.* Quoniam jure simonia sit vendere Beneficia? R. jure Divino: ita communis sententia TT. cum Suarez contra Navarum, & alios, præsertim Canonistas. Duo enim sunt in Beneficio jura distinguenda; alterum ad exercendas spirituales functiones Ordinis, & hoc est certè jure Divino invendibile; alterum est jus ad redditus temporales, ex beneficio provenientes, quod ita annexum est spirituali, ut nullo modo, ab eo possit separari. Est ratio, quia in beneficiis jus temporale essentialiter datur propter officium spirituale; ita ut si consideretur jus ad redditus, separatum a jure exercendi officia sacra, jam amplius dici nequeat jus beneficiale. Ita colligitur ex Trid. Sess. 21. c. 3. ubi dicitur, *beneficium esse propter officium*, & ex c. *Si quis 1. q. 3. quisquis horum alterum vendit, neutrum invenditum derelinquit.* Itaque etsi non tenearis Beneficium alteri dare, tamen si conferas, illud gratis conferre debes. Unde D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ait: *Beneficia nullo modo vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subijci.*

38. Dicunt: calix consecratus vendi potest ratione materiæ; pariter jus Patronatus vendi potest quoad honores, & subventiones; quæ Patronis debentur. Cur ergo non poterit separari in Beneficio jus ad redditus temporales a jure omnino spirituali? Respondet S. Thomas, quia calix solum antecederet est annexus spirituali, seu quod idem est, non præsupponit, sed ei advenit spirituale, nempe consecratio. Jus percipiendi redditus fundatur in spirituali, & illud præsupponit, adeoque subsequenter annexum est spirituali, ita ut competere non possit nisi ei, qui exercet munus spirituale, propter quod fructus sunt destinati. Idem est discrimen circa jus patronatus, quo vendito quoad honores, ejusque subventiones, non censetur vendi Beneficium. Hinc docent AA. nullam esse venditionem Beneficii, nec a Papa dispensari posse. Potest tamen Pontifex titulum; seu jus officii spiritualis separare a jure ad redditus, & ita separatum est jus mere temporale, cujus distractio non erit simoniaca, ut probat consuetudo pensiones imponendi super beneficia.

39. *Quest. 2.* An & quomodo sit prohibita venditio juris præsentandi ab Beneficium? R. 1. vendito fundo, cui annexum est tale jus, transfertur in emptorem. Nec ideo dicitur vendi jus Patronatus, nisi pro hoc jure aliquid accipiat præter id, quod pro fundo debetur. Quod si lis fuerit circa jus Patronatus, non licet imponi præsentato onus suis expensis litigandi, & probandi jus ad Patronum spectare; cum tale pactum sit virtualiter præsentationem vendere

pro sumptibus, qui a Patrono fieri ex jure debebant.

40. Notandum hic, multos apud La-Croix a Simonia excusare, vendere jus sepulturæ in loco sacro ob digniorem locum; sed repugnant Suarez, & alii multi, etiamsi non vendatur locus sepulturæ, quatenus sacer est, sed ratione terræ. Videtur enim esse prohibitum. c. 41. de simon. & c. 13. de sepult. ubi Innoc. III. expresse ait: *abolendæ consuetudinis perversitas apud Montem Pessulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepulturam, quam pro terra; in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur.* Nihilominus non est damnanda consuetudo, quæ viget in multis locis exigendi pretium pro certo loco cœmeterii, aut Ecclesiæ, ratione oneris ibidem sepeliendi aliquos ex certa familia, & non alios.

41. *Quæst. 3.* An sit simonia dare pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile mediatori ad obtinendum Beneficium, vel ordinationem? R. Simoniam esse, sive intercessor sit immediatus, sive mediatus, modo intercedat pactum procurandi beneficium; nam in *Extrav. 2. de Simon.* dicitur: *simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione. . . favore, seu mediatione.* Et licet videatur in ea hypothese dari temporale inmediate pro temporali, qualis est intercessio; verumtamen sic per *pecuniam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Quod si pecunia non detur pro intercessione, sed pro labore, & onere subeundo, aut lucro amittendo, non es-

se simoniam docent Suarez, Salmant. alii, Pariter, si des alteri pecuniam, ut te admoneat de vacante beneficio, & similibus, quæ remote se habent ad obtinendum beneficium.

42. *Quæst. 4.* An sit simonia juris Ecclesiastici permutatio Beneficii? R. 1. universim loquendo simoniaca est, & nulla jure Ecclesiastico omnis permutatio beneficiorum, & omnis conventio, vel pactio, quæ obliget ad id, quod non est jure debitum, si fiat privata auctoritate. Constat ex c. 4. de simon. & ex c. 5. de rerum permut. *Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* Et c. ult. de pactis. *Pactione factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitens sunt momenti.*

43. R. 2. Licitam esse beneficiorum permutationem, si fiat auctoritate Superioris inter personas jure idoneas, & sine ullo pacto, vel onere, quod ex jure beneficio non inhæret. Hinc Episcopi possunt concedere permutationes beneficiorum, sistentium in sua Diœcesi, ut docet S. Thomas, modo beneficia non pertineant ad Pontificem. Idem possunt Abbates, facultates Episcoporum habentes. Hoc tamen locum non habet, si quis ad beneficium sit tantum electus, vel lis vertat super beneficio.

44. *Quæst. 5.* An liceat volentibus permutare beneficia, de permutatione pacto conveni-

re, & sese invicem obligare ad poenam solvendam ab eo qui resilierit? Affirmat Lessius, modo id fiat dependenter a consensu Prælati, quia tunc obligatio non est, nisi conditionata. Quid vero si permutatio postea effectum non habeat, poterit ne postea redire ad propria quisque beneficia? Negant Salmant. afferentes plures Rotæ decisiones, quia renuntians amittit titulum, ac possessionem beneficii, unde redire ad illud nequit absque nova collatione. Nihilominus alii contradicunt, quibus favet S. Antoninus, eo quod renuntiatio tantum fuerit conditionata, si Prælati consentiet: itaque non accedente postea Prælati facultate, omnino est invalida renuntiatio.

Quest. 6. An possit fieri permutatio beneficii cum obligatione persolvendæ sibi, vel alteri pensionis? R. certum est, hanc obligationem esse simoniacam, si privata fiat auctoritate. Potest tamen imponi, si quatuor adsint conditiones. 1. ut obtinens pensionem sit persona idonea, scilicet legitima, nulla excommunicatione ligata, & tonsura saltem initiata. 2. ut adsit justa causa, vel alendi pauperis, vel utilitatis Ecclesiæ, vel moderatæ compensationis, & æqualitatis. 3. ut pensio non excedat tertiam partem reddituum beneficii. 4. ut fiat ex legitima auctoritate, qualis certe est in Pontifice. Aliqui requirunt etiam Patroni auctoritatem, alii negant, nisi fiat resignatio. Nota, pensionarios ex Bulla Pii V. teneri ad recitandum officium B. M. V., alias suos non facient fructus. Intellige, si pensio sit Clericalis, & is, qui

fruitur pensione, aliunde non teneatur ad recitandum Officium majus.

45. Quest. 7. Quis possit beneficii permutationem facere, pensionem imponendo? R. 1. si pensio est mere temporalis, non potest fieri permutatio neque Pontificia auctoritate, cum sit simonia juris Divini. Pontifex tamen potest Beneficio partem fructuum detrahere, & alteri dare, quia tunc jam desinunt esse fructus Beneficii. R. 2. si pensio spiritualis est, potest fieri permutatio, sed auctoritate Pontificis, & non Episcopi; nisi pensio illa sit erecta in titulum Beneficii, uti sunt præstimoniam, quia tunc vere sunt Beneficia, & Episcopus potest concedere permutationes Beneficiorum in propria diocesi; nisi pertineant ad Pontificem.

46. Quest. 8. An liceat inæqualitatem Beneficiorum, quæ permutantur, pecunia, vel pensione compensare? Negat communior sententia, id fieri posse neque auctoritate Pontificis, cum emeretur spirituale pro temporali, quod est simonia juris Divini, ille enim excessus est annexus titulo spirituali Beneficii. Potest tamen R. Pontifex a pinguiori beneficio separare partem aliquam fructuum, eamque alteri gratis dare, ut supra dictam est. Certum autem est, esse simoniam, pecunia compensare excessum, qui sit in re spirituali, puta jurisdictionis, dignitatis, cet.

47. Quest. 9. An simoniaca sit transactio Beneficiorum? R. affirm. si fiat privata auctoritate ex c. *Super eo de Transact.* Nam transactio est pactio utrinque onerosa de re incerta, &

dubia ; omnis autem pactio in Beneficiis est jure prohibita. Hoc tamen non tollit, quod utraque pars possit acquiescere, vel se remittere arbitris, qui saltem sint Clerici, modo nulla fiat divisio jurium, vel reddituum, nec ullum cedenti onus imponatur. Potest quoque Episcopus litem componere, onus imponendo beneficium obtinendi, ut alteri quidpiam persolvat, si honestæ causæ id exigant, v. g. ob bonum pacis, ob æquitatem, ne cedens careat alimentis, ob laborem, & expensas, quas cedens fecit, alter mero facturum erat, nisi ille cederet. Quin etiam multi existimant, id quoque fieri posse ab arbitris, modo non imponatur annua pensio, nec removeatur beneficium a possessore, ex c. *de cetero de Trans.*

48. An autem Episcopus possit ob bonum pacis imponere super beneficio pensionem, solvendam cedenti, dum vivat, non convenit inter DD. Sunt, qui negent, allegantes stylum R. Curie, non admittentis hujusmodi transactiones, alii vero, id usu, & consuetudine permittum esse volunt, ut Episcopi in transactionibus pensionem imponant, non utique beneficiariis, sed super eisdem Beneficiis pro vita pensionariorum. Et idem posse ajunt Judices ecclesiasticos. Quod si utraque pars de pensione prius convenerit dependenter ab Episcopo, adhuc ab illo admitti posse, contendunt Salmant. aliis repugnantibus.

49. *Quest. 10.* Quo modo fieri possit renuntiatio Beneficiorum? R. 1. ut renuntiatio ab omni labe simoniæ sit immunis debet fieri 1. in

manu Prælati, qui potest conferre beneficium, ab eoque acceptari; alias nulla erit renuntiatio. 2. fieri debet pure, & absolute, sine ullo onere pensionis. Quod si fiat in favorem tertie personæ absque ullo onere, non erit valida ex jure Ecclesiastico, id prohibente, nisi fiat auctoritate Pontificis, & ex justa causa.

50. Ex constit. Pii V. prohibentur omnes resignationes confidentiales, quia includunt pactum tacitum, vel expressum, quod in jure prohibetur ut simoniacum. Imo si resignes alteri beneficium omnino gratis, sed cum spe, ut alter tibi postea beneficium resignet ex sola gratitudine, vel solvat aliquid ex fructibus beneficii, reus certe non eris simoniæ, saltem juris Divini, sed a simonia juris Ecclesiæ ægre poteris excusari propter periculum taciti pacti simoniaci; & ideo in jure novo cum a Pio IV. tum a Pio V. reprobatur talis resignatio cum spe, etiam sine ullo pacto. Sunt tamen AA. multi, in eo casu a simonia excusantes, quia in iis constitutionibus solum renovatur decretum Trid. quo damnantur confidentiæ cum obligatione sive tacita, sive expressa, & declaratur, præsumendum esse tale pactum, ubi constet donationem postea factam esse. Salmant. c. 3. n. 67.

51. *Quest. 11.* An sit simonia dare aliquid, vel accipere pro ingressu in Religionem; an etiam pro sustentatione ingredientis? R. certum esse, non licere aliquid dare, vel accipere pro solo ingressu, cum sit res spiritualis, quæ nequit absque simonia vendi pro temporali. Certum item est, si Monasterium sit pauper, nec

possit plures sustentare, non esse simoniam exigere aliquid ab ingredi volentibus, non quidem ut pretium Religionis, sed ut habeat, quo eis possit provideri sine aliorum detrimento. Quid vero si redditus Monasterii sufficiant? eritne simonia accipere aliquid titulo sustentationis? S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. & cum eo DD. communiter censent, esse simoniam exigere aliquid ad sustentationem, cum ad id sufficiunt redditus monasterii. Nam ex vi professionis regulares acquirunt jus, ut alantur ex facultatibus Monasterii; hoc autem jus annexum est professioni religiosæ, non minus quam jus ad fructus Beneficii sit annexum Beneficio. Itaque hæc simonia potest dici juris non solum Ecclesiastici sed etiam Divini. Quod autem sit juris Ecclesiastici, constat ex Bulla Alex. III. c. *non satis*, Innoc. III. c. *dilectus*, ex Conc. Lat. IV. cap. *quoniam de Simon*. Et in Extrav. c. de Sim. prohibetur sub poena Excommunic. Permittitur autem aliquid pro alimentis tempore Novitiatus. Item Monasteriis Monialium indulsisse fertur Clem. VIII. pacisci de dote monialium recipendarum. Id quod esse immune a simonia declaravit S. Congreg. Concilii 18. Sept. 1683. Imo in eadem perstitit sententia an. 1725. ut trad. Bened. XIV. lib. VII. de Synodo Diœces. qui addit, non facile damnandas simoniæ consuetas dotes, quæ solent exigi etiam in monasteriis opulentis, cum vix sit monasterium monialium, quod ad reparanda quotidiana suorum reddituum detrimenta non egeat novarum dotum accessione. Quare S. Carolus decrevit, ut non vestirentur

Moniales, nisi parentes, vel illi, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote, vel eleemosyna consueta.

52. *Quæst. 12.* An sit simonia redimere vexationem in beneficiis? R. 1. quando jus est certum, & in re acquisitum, licet pretio temporali redimere injustam vexationem. Ita S. Th. 2. 2. q. 100. Quod si jus sit dubium, aut justa vexatio, non licet. Ratio 1. partis est, quia tunc temporale non datur pro spiritali, sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale Ratio 2. partis est, quia tunc per temporale paratur via ad spirituale, nempe ad acquirendum jus certum & omnino firmum, quod antea non habebas. Idem dico si jus non sit in re acquisitum, sed ad rem; tunc enim pecunia emeretur aliquid spirituale, nempe jus in re. Hinc c. *Mattheus de Simon*, damnatur, qui obtenta electione, pecuniam obtulit, ne alii electores impedirent confirmationem. Pariter simoniacus esset qui offerret pecuniam Episcopo, qui injuste nollet præsentatum instituere.

53. *Quæst. 13.* An liceat vexationem pecunia redimere ab his, qui tantum obesse possunt? Affirmant multi, quia tali via solum remote quæritur spirituale, vel potius solum quæritur tollere injustum impedimentum quod inter temporaria recensetur. Secus est de his, qui obesse, & prodesse possunt eligendo, instituendo, vel præsentando; his enim pecuniam exhibere, ne obsint, est illam offerre, ut pro sint consensum non negando. Hic nota, nunquam licere redimere injustam vexationem præ-

tio spirituali, quia tunc spirituale, daretur pro re temporali, qualis est vexatio. Nota 2. simoniam esse, dare aliquid temporale pro omissione absolventi, dispensandi, eligendi, cet. ex c. *Presbyter de sim.* Secus autem est, si talis ommissio non sit exercitium rei spiritualis, sed usus liber tuæ libertatis, ut ommissio orandi, dandi eleemosynam, cet. adquæ non teneris ex justitia.

54. Nota 3. Plures affirmare, non esse simoniam in eo, qui jam est institutus, & confirmatus, pecunia redimere vexationem a possessione beneficii; quia possessio se sola non est quid spirituale, si esparetur a titulo, nec dat jus ad exercendas functiones spirituales sed illud supponit. Atque ita sentire videtur S. Th. loco supra cit. licet alii DD. contra sentiant. An autem in gravi necessitate liceat dare pecuniam Sacerdoti, nolenti ministrare Sacramenta? Controvertitur inter AA. Negant multi cum D. Th. quia sic emerentur Sacramenta, quod est intrinsece malum. Affirmant D. Bonav. aliique TT. cum id solum sit redimere vexationem, & tollere injustum impedimentum.

CAPUT VI.

De pœna Simonix & obligatione restituendi simoniace accepta.

55. *Quæst. 1.* Quanam simonia pœnas juris inducit. R. 1. simonia mentalis non subiacet pœnæ Ecclesiasticæ, ut constat ex e. 46.

de Simon. ubi dicitur de simoniâcis mentalibus, *sufficere per solam pœnitentiam satisfacere suo Creatori.* Neque ulla pœna contrahitur ob simoniam pure conventionalem, excepta confidentiali: quia jura pœnas imponentia requirunt spiritualis rei acceptionem ex *Extr. 1. & 2. de sim.* Quare neque ulla incurritur pœna in simonia mixta, & semireali, quando non fuit tradita res spiritualis, cum nondum intelligatur exterius consummata simonia. R. 2. sola incurritur pœna Ecclesiastica per simoniam confidentiæ, & realem in Ordine, Beneficio Ecclesiastico, & ingressu Religionis. In ventionem aliarum rerum, puta Sacramentorum, jurisdictionis, pensionis, Capellanix non collativæ, etsi sit simonia, nulla tamen incurritur pœna. Idem dico de Vicaria amovibili, de Officio Inquisitoris, aut Legati ad tempus, quæ cum non sint proprie Officia Ecclesiastica, non subiacent pœnis Ecclesiæ, licet illa vendere simonia sit de jure positivo.

56. *Quæst. 2.* An ad pœnas Canonicas contrahendas opus sit, ut simonia sit utrinque completa? Affirmat communis sententia, eo quod licet tradatur res spiritualis, omnino completa non censetur venditio simul, & emptio, nisi pretium sit persolutum. Nec in jure ullæ infliguntur pœnæ contra simoniam non utrinque completam, & *in pœnis benignior est interpretatio facienda ex reg. Jur. in 6.* Atque hunc esse stylum Curix, testantur Navarrus, & alii, non judicare, pœnas fuisse incursas, nisi ex utraque parte completa fuerit simonia.

Notandum tamen est 1. completam censi, si pars aliqua promissi solvatur. 2. ex simonia utrinque completa incurri pœnas, quamvis illa sit occulta, ut constat ex Ext. *de Sim.* 3. in Simonia confidentiali incurri pœnas per simoniam conventionalem mixtam, scilicet ex una parte completam ex bulla S. Pii V. *Intolerabilis.* §. 3.

57. *Quæst.* 3. Utrum Canonice pœnæ contrahantur ab eo, qui beneficium obtinet per fictam pecuniæ promissionem, non impletam? R. eum re vera cooperari peccato simoniæ alterius, quod proinde ipsi ad culpam coram Deo imputatur. Sed cum ipse verum emptionis contractum non faciat, non potest dici Simoniacus, adeoque non subjacet pœnis latis contra Simonicos.

58. *Quæst.* 4. Quænam sunt pœnæ simoniæ ordinis? R. 1. excommunicatio, & suspensio Papalis, quæ comprehendit tam ordinantes, quam ordinatos, atque etiam mediatores; & Papæ est reservata. 2. ordinantes sunt etiam interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Et si violaverint suspensionem, aut interdictum, suspenduntur a regimine Ecclesiæ, & privantur perceptione fructuum ex Bulla Sixti V. 3. ordinatus ultra excommunicationem, & suspensionem, suspenditur ab exercitio Ordinum, & prohibetur ascendere ad ultteriores. Utrum autem hæ pœnæ incurrantur in collatione primæ tonsuræ, disputant DD. Affirmant Busemb. & Covarruv. quia ex Trid. Sess. 21. c. 1. prohibetur aliquid accipi, etiam sponte oblatum, pro collatione primæ tonsu-

ræ, & pro litteris Dimissoriis, & Testimoniabilibus, & pro sigillo, idque sub pœnis jure inflictis. Negant alii, quia tonsura non est proprie ordo, sed dispositio ad ordines; & licet peccato non vacat propter prohibitionem aliquid accipere pro tonsura, non tamen est simonia, si sponte sit oblatum ab ordinato. Imo non desunt, qui permittunt Episcopis aliquid recipere sponte oblatum pro ordinatione post collatum ordinem, ubi viget consuetudo; licet id non possit peti ab Episcopo, imo neque ante ordinationem accipi non petitum. Colligitur ex *Can. sicut* 1. q. 2. ex *Greg. ep.* 44.

59. *Quæst.* 5. Quænam sunt pœnæ Simoniæ *Realis* in Beneficio Ecclesiastico? R. 1. Excommunicatio Papalis. II. Irrita est electio, præsentatio, & confirmatio, unde fructus non facit suos. Idque etiam si alter, te ignorante, pecuniam dederit, beneficium non potes acceptare, ex c. 27. *de Sim.* & c. *pœn. de elect.* ubi excipitur, *si contra prohibitionem tuam, aliquis, te penitus ignorante, pecuniam promisit, & exsolvit.* Si vero a tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut te inhabilem reddet, id non obstat, ut legitima sit ordinatio, ne fraus alteri patrocinari dicatur. Si autem bona fide Beneficium, per triennium quis obtinuit, simonia postea comperta, potest Episcopus dispensare, ut resignatum prius Beneficium iterum illi conferatur, ut tenet communis sententia TT.

60. *Quæst.* 6. Quænam sunt pœnæ simoniæ confidentialis? R. Simonia confidentialis, dato, & accepto beneficio, licet pretio nondum perso-

luto, incurrit has pœnas. I. Excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti. II. nullitatem resignationis beneficii, & collationis, & inhabilitatem ad illud postea obtinendum. III. Privationem cujuscumque Beneficii, & pensionis prius obtentæ, non tamen ante sententiam latam. IV. reservationem Pontificiam Beneficii sic collati.

61. Nota vero, has pœnas incurri etiam in electione simoniaca Prælatorum Regularium, Generalis, Provincialis, Abbatis, Guardiani, Rectoris, cet. quia sunt officia spiritualia, jurisdictionem habentia. Et licet aliqui negent invalidas esse simoniacas electiones Prælatorum Regularium, verius tamen est affirmandum, cum in Extrav. 2. dicatur: *per electiones vero provisiones cet. quas simoniaca contigerit labe feri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, Prioratibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis cuique jus nullatenus acquiratur.* Ob ingressum Religionis simoniacum incurruntur hæ pœnæ: 1. Excommunicatio contra dantes, & accipientes. 2. Suspendio ab Officiis capitularibus in communitatem, quæ consenserit. 3. Simoniace scienter professus in arctius Monasterium est detrudendus, c. 25. de *sim.* Sed ab his pœnis excusat ignorantia, etiam culpabilis; nec probabiliter comprehendit solum ingressum, sed professionem, quæ quidem licet simoniaca valida est, ut docet S. Thomas q. 109. art. 6.

62. *Quæst. 7.* An pœnæ in simoniaco beneficio incurrantur ab ignorantibus? R. 1. quæ-

cumque sit ignorantia, provisio Beneficii semper est nulla; cum inhabilitas in jure non sit pœna, sed remedium ad præcavenda mala: poterit tamen Episcopus dispensare post renunciationem Beneficii cum eo, qui ignorans, & contradicens simoniace accepit Beneficium, ut supra diximus. R. 2. qui sine culpa ignorat simoniam, pœnas non incurrit ex c. 23. de R. juris: *sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* Secus vero si ignorantia sit culpabilis, quæ nec excusat a labe simoniæ, nec ab ejus pœnis. Quid vero si simoniacus sciat se committere simoniam, ignoret autem pœnas? Quoad censuras, eas certe non incurrit ex communi sententia; reliquis tamen pœnis est subjectus, quicquid nonnulli sentiant.

63. *Quæst. 8.* An hæ pœnæ incurrantur ante sententiam judicis? R. 1. neg. de beneficiis antea obtentis, eorumque fructibus, quia nulla lex est, hanc pœnam ipso facto designans. Excipiuntur Examinatores Beneficiorum Parochialium, in Synodo electi, qui privantur beneficiis antea obtentis, ante omnem sententiam, si occasione examinis aliquid recipiant. Trid. Sess. 14. de Ref. c. 18. Item Beneficium in confidentiam acceptantes, ex bulla S. Pii V. R. 2. quoad inhabilitatem ad alia obtinenda Beneficia, contendunt multi, illam incurri ante omnem sententiam, quia ita habetur in motu proprio S. Pii V. Alii multi negant, eo quod prædicta Bulla recepta non sit, nisi pro foro externo, cum Beneficiarius de Simonia convictus sit R. 3. nemo dubitat, quin simoniacus ipso

facto, & ante omnem sententiam inhabilis sit ad retinendum illud Beneficium, quod simoniace accepit.

64. Jam vero quod ad obligationem attinet restituendi simoniace acceptum, certum est 1. pretium acceptum pro re spirituali, nondum tradita, jure Divino esse restituendum, cum sit contra justitiam obtentum. Et quidem ei restituendum est, a quo fuit acceptum. Certum est 2. pretium datum pro beneficio, aut officio spirituali restitui debere, saltem ex jure Ecclesiastico. Constat ex Can. 6. *Si quis dat. 1. q. 3.* dicente; *Rationis ergo vigore cogitur, quod injuste receperit, restituere, & quicquid turpis lucri gratia receperit, non tenere.* Cuinam vero restitutio sit facienda, dubitant AA. S. Thomas vult Ecclesie, vel pauperibus restitui debere, atque id videtur colligi ex c. 11. de *Simonia*. Verum id intelligendum de simoniace acceptis in materia Beneficiali. De cetero si simonia sit in alia materia, multi censent, restituendum esse pretium ei, qui dedit, cum pactio fuerit nulla, proindeque retineat rei dominium, nisi eo a Superiore in pœnam privetur. Privari autem non constat expresse in jure nisi simoniacum Beneficiarium.

65. Pretium vero pro ingressu in religionem restituendum est ei, qui dedit, ex c. *Veniens de Sim.* Si tamen remaneat in monasterio, potest monasterium illud retinere. Quod ad fructus Beneficii, per simoniam accepti; restituendos esse Ecclesie, docet S. Th., modo commodum non recipiant ex eis, qui simoniam commiserunt. Sed probabile est, posse eos reddi paupe-

ribus, vel successori in Beneficio, vel etiam facere cum Pontifice quoddam genus compositionis, ut vocant DD.

66. *Quest. ult.* Quis potest dispensare a pœnis, inflictis simoniæ? R. Ab omnibus posse dispensare R. Pontificem, tenet communis sententia, cum sit supremus Ecclesie Legislator; nec alius, præter eum, potest absolvere ab Excommunicatione, & suspensione, nisi dictæ Censuræ sint occultæ, a quibus potest quoque absolvere Episcopus. Imo & Confessarii Mendicantes, ubi vigeat quoad hanc partem Bulla Pii V. Quoad vero suspensionem ordinum, & inhabilitatem ad obtinendum Beneficium simoniace acceptum, nequit Episcopus dispensare, præsertim si scienter accepit illud. Poterit tamen dispensare cum eo, qui nesciens accepit, si illud primum resignaverit; potest quoque dispensare cum ipso ad alia obtinenda Beneficia, etiamsi sciens simoniacum obtinuerit Beneficium, modo Simonia non fuerit confidentialis.

TRACTATUS II.

De secundo præcepto Decalogi.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Exodi 20. Deut 5.

Prohibetur hoc præcepto omnis inordinata usurpatio nominis Dei, qualis potissimum fit per blasphemiam, temerarium juramentum, voti infractionem; de quibus hic agendum.